

caeli dignetur, aliquando mei misereri, ut laevam suam ponat sub capite meo et dextera illius amplexetur me!

Cap. 18 [Conradus intercedit apud deum pro anima^y conversi ab apostasia resipiscentis]

Iuvenis quidam conversus et noviter professus immemor tremendi iudicii dei professionis suae vinculum rupit et de domo Hegene egressus ad vomitum seculi revertitur et apostata vilis efficitur. Cumque ille libidinum furiis agitatus substantiam corporis et animae per multum tempus dissipasset, tandem poenitentia ductus domum repetiit, quam inordinate dereliquit. De cuius conversione velut de ovicula perdita et inventa pater monasterii vehementer^z gavisus ipsum in osculo pacis suscepit et ad gregem reportavit. Deinde pauci vix defluerant dies et ecce accelerante morte soluta est anima eius a corpore amarissima contritione ingemiscens ac poenitens, quod tempus poenitentiae sine poenitentia praeterisset. Cumque defunctus ille fuisset, confestim servus Christi Conradus anxius et sollicitus extitit, qualiter confratri suo tanta mole peccatorum gravato succurrere posset. Et liquefactus totus pietatis et fraternae compassionis affectu orationum suffragia et nostrae redemptionis sacrificium pro eius anima cottidie offerre curavit. Cumque haec ardente pietatis affectu actitaret, quadam vice, dum attentius oraret, divinum responsum audivit dicens: „Conrade, tuis precibus minorabitur et breviabitur poena, quam iste peccator enormitate et multiplicitate scelerum suorum promeruit.“ Quis ergo divinae bonitatis et clementiae viscera super nos miseros peccatores aestimare sufficiat? Nam per gratiam dei de peccatis saepe transimus ad poenitentiae remedia et sanctorum orationibus adiuti de miseria poenarum ad paradisi gaudia pervenimus. Ergo quia nullus fructus in mundo gravior est deo quam animarum, ideo mediante gratia ipsius, qui mortem pro peccatoribus sustinuit, Conradus non desiit ab orationis instantia, donec sine scrupulo dubietatis agnosceret, se exauditum esse et animam defuncti ad paradisi gaudia pervenisse.

Cap. 19 [Conradus orat deum pro conservatione conventus]

Interloquente sancto Moyse et orante filii Israel a domino praecepta acceperunt, pro quorum observantia repromissionis terram expectaverunt. Horum exemplo filii sanctae congregationis domus Hegene in angustia positi per fidelem mediatorem, beatum videlicet Conradum,

y) *dahinter gestrichen* conversi *W*₁. z) *dahinter wiederholt* vehementer *W*₁.